

lib. III. cap. V. Dn. Hedio in Analyt. lib. I. Prior. p. 127. sqq.
nec non Johannes Schilterus in Diatribe Logica de *Syllogi-*
simo ex hypothese, olim sub præsidio Pauli Slevogti detenta,
nunc verò ejusdem *Praxi Artis Analytica in Jurisprudentia*
subjuncta cap. I.

XI. Quod Syllogismos *ἐξ ὑποθέσεως* attinet, commu-
nis fermè nata est sententia, quam §. VI. ex Johanne Lorino
jam tum indicavimus, eosdem esse ipsissimos conjunctos sive
compositos Syllogismos, quorum nempe vel utraque vel sal-
tem alterutra præmissarum est propositio conjuncta; sicuti
Syllogismum *δεικτικόν*, ostensivum, simplicem faciunt. Ita
namque Antonius Bernhardus Mirandulanus in Institut.
Log. in Libr. I. Prior. Analyt. Sect. XXII. postquam distin-
ctionem Syllogismorum in *ostensivum*, & *ex suppositione* attigis-
set, imò & *ostensivum in una trium figurarum* fieri monuisset, an-
tequam ulterius *declaret*, etiam reliquos Syllogismos fieri in *una*
aliqua trium figurarum, utrumque prius describendum sibi su-
mit. *Sunt igitur ipsi ostensivi Syllogismi, qui ex propositionibus*
simpliciter & absolute sumtis, recta via & ratione concludunt eam
conclusionem, quam nobis propositum est concludere. Ex suppositione
dicuntur, qui non ita se habent, sed procedunt supponendo aliquid.
Uc: Si est A. est B. Sed non est B. Ergò non est A. Vel contra: Sed
est A. Ergò est B. Item: Aut est dies, aut est nox. Sed est dies. Ergò
non est nox. Syllogismo enim ostensivò probaremus vel A. esse, vel B.
non esse. B. verò esse, si A. sit, intelligitur ex suppositione. Quam-
vis autem ad Syllogismum ex suppositione referat quoque
eum, qui ad impossibile nuncupatur, propterea quòd ostendat, id,
quod fieri nequit. Syllogismo ostensivò, dicit tamen, eum non esse
simpliciter ex suppositione, sed secundum quid, cum non supponat
aliquid, ut id, de quo est questio, possit demonstrare, sed potius sup-
ponat aliquid, cuius oppositum vult demonstrare. In quam
sententiam descendunt Franciscus Burana, Commentar. in
libr. I. Prior. Analyt. cap. XXIII. Petrus Bertius Logic. Peri-
pat. in Appendice libr. III. capitum II X, sqq. ubi agit de Syllogi-
smis